

1508 sumpturum, Carminiolam Venetorum imperatorem avorum nostrorum memoria publice ab iis ob proditionem capite mulctatum, eo involucro verborum designantem: utrique enim eadem tellus patria fuit: id, quod erat ratus, Senatui primus omnium per literas denunciavit, eo ab fœdere sibi caveret: babere se, contra rempublicam fuisse iustum, indicia.

Sed confecto, ut dictum est, fœdere, Julius tametsi cupiditate ferebatur Arimino Faventiaque potiundi, quia tamen & Gallorum regem magnæ per se potentiaë multo majorem suo permisso fieri nolebat, & cum illam nationem, tum Germaniæ populos in possessionem Italiæ venire, optimæque ejus partis atque populofissimæ dominos fieri, sibi reliquisque Italij detrimentosum existimabat futurum, ut ab illis Venetos opprimi fineret, adduci prope non poterat. Itaque cum videret ab Aloisio exercitum reliquaque ad bellum idonea per hyemem magno studio comparari, ut primo pabuli tempore Alpes trajiceret, seque ab eo per legatos perque literas sollicitari animadverteret, ut suas & ipse copias paratas haberet ad reipublicæ fines eodem tempore a Flaminij latere infestandos, atque in ejus ditionem irrumpendum, ne sui colligendi aut omnino resistendi reipublicæ facultas daretur: Constantino Cominato Epirotæ non postremæ apud Maximilianum auctoritatis, qui Romæ tunc erat, quoque ipse familiarissime utebatur, mandavit, ut in occulto Joannem Baduarium reipublicæ apud se legatum alloqueretur, quæque ab eo dici vellet, ei ostendit. Constantinus, qui a Gallis regno pulsus, quod quidem aliquot ante annis iuxatio nomine in Salassis obtinuerat, magno illos odio prosequebatur, adhibita diligentia, noctu amotis arbitris legatum alloquitur, atque omnia Aloisii regis consilia ei aperit, quæque reipublicæ impendeant proponit. addit, si Senatus Ariminum atque Faventiam restituere Julio velit, propterea quod is reipublicæ vastitatem non æquo animo ferat, confidere se se ab eo impetraturum, ut una cum Maximiliano a Gallis desciscat, detque operam ne quid ab